



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

IV. Secundum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

captivitatem hanc contigisse antequam Israëlitis Reges Deus præficeret. Hæc enim verba ad præcedentia pertinere, cum Septuaginta Senibus & Vulgato Interprete existimamus. Atqui & infelix illud prælium, & Regum creatio, evenerunt Samuelis temporibus, & à Samuele scribi potuerunt.

IV. Alterum argumentum est Theodreti, qui recentem Libri hujus confectio- nem esse opinatur, quod mentio in eo fiat Jerusalem, cui nomen id inditum putat posteriori ævo. Eodem telo peti poterat & libri Josuæ dignitas, in quo urbem hanc nomine eodem sæpe affectam reperies. Certum est hanc ipsam esse civitatem, quæ prius nominabatur Salem, & in qua Melchisedeci regia fuit. Nam Psaltes ait, juxta Ebraicum exemplar: *Et factus est בשלם in Salem locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* Proxima utriusque vallis regia; hæc in decimo quarto Genesios, illa decimo octavo capite secundi Samuelis memorata. Sita utraque est in via quæ à convalle Mambre, in qua habitabat Abraham, recta Hobam ducit, ad quam usque idem Reges quinque persecutus est. Certum quoque est factam dictionem Jerusalem ex vocibus ירום & Salem; sumto priore hoc vocabulo ex nomine quod Morixæ mon- ti, qui in eodem loco situs erat, fecit Abraham, cum dixisset: *יהוה יראם Dominus videbit.* Quandonam vero hæc duæ dictiones in unam conflatae sunt, ac Jerusalem primum dici cepta sit hæc civitas, obscurum est & incertum. Ego quidem probabili- ter dici posse censeo, Israëlitas, ipsumque Josuam, postquam vicina loca infederunt memores Abrahamici dicti, & impositi loco nominis, novum nomen urbi fixisse ex veteri hoc Salem, quod à Jebusæis finitimi que gentibus habebat, & altero ירום, quod ab Abrahamo habuerat. His autem recentior fuit libri Josuæ, & libri Judicum lucubratio: unde irritum est, quod inde telum cuditur.

Secundum argumentum Theod. inter. 2. in Judic.

Psalm. 75. 3.

Gen. 14. 17. 2. Sam. 12. 12.

Gen. 22. 9. 14.

V. Perstringenda interim Disputatoris Theologo-Politici levitas, qui cum capite tractatus sui octavo hæc scripserit: *Librum iudicum neminem sanae mentis sibi persuadere credo ab ipsis iudicibus esse scriptum: epilogus enim totius historiae, qui habetur cap. 2. clare ostendit eum totum ab uno solo Historico scriptum fuisse: capite tamen sequenti ex variis Historicis decerptum esse affirmat: Quis enim, inquit, non videt in cap. 2. iudicum ex vers. 6. novum Historicum afferri (qui res à osue gestas etiam scripserat) ejusque verba simpliciter describi. Nam postquam Historicus noster in ultimo capite Josuæ narravit quod ipse mortem obierit, quodque sepultus fuerit, & in primo hujus Libri narrare ea promiserit, quæ post ejusdem mortem contigerunt; qua ratione, si solum sua historiae sequi volebat, potuisset annexere superioribus, quæ hic de ipso Josuæ narrare incipit? Ergo in eodem capite causam reperit homo perspicax, cur ab uno Historico & à pluribus scriptum hunc Librum opinaretur: quod ejus acumine dignum est. Attendisset primo capite Gentes recenseri, quæ inter Israëlitas manserunt incolumes, & sedibus suis moveri non potuerunt; capite vero sequenti causas afferri, quamobrem eas Deus adversus populi sui vim tutatus sit, peccata nempe post excessum Josuæ & sub Judicum imperio ab Israëlitis idem- tidem admitta, quibus comprobandis rem arcessi à capite, à rebus nempe quæ מגנ- עושיהו Josuæ proxime confectæ sunt; verba autem illic è calce libri Josuæ repeti- ta, indicio esse tum calcem hanc, tum librum Judicum, ab eadem manu esse profecta, atque priora hæc capita duo ad pleniorum sequentium intellectum viam munire.*

Tertium ar- gumentum.

Jos. 24. 28. & seq.

VI. Sed & fabulis aliquot comminiscendis ansam præbuit iste Liber. Fatalis ille Nisi Megarensium regis capillus, unde regni fortuna pendebar, quo demesso à Scyl- la amore perdita puella præfens exitum Niso & Megaræ conflatum est, nonne ad ipsam Samsonis casariam expressus est, quæ à Dalila meretrice refecta maximum in- fortunium Samsoni peperit? Casum ab eo Thamnatum eunte leonem leo Nemeæus ab Hercule interfectus refert; Dalilam, Omphale; columnas duas Gazææ domus, Columnæ Gaditanæ, quæ Herculi meta itinerum fuerunt, ut illæ Samsoni vitæ ter- minus. Uterque demum interitu voluntario perit. Atque ita Josuæ & Samsonis ge- sta uni Herculi Fabulatores accommodarunt, uti sæpe ab ilis fieri solere observatum est. Jephthæ sacrificans filiam Deo, adumbratur Agamemnone Iphigeniam Dianæ im- molante: adumbratur & Idomeneo, qui tempestatibus jactatus cum Neptuno sacri- ficaturum se pollicitus esset quidquid sibi primum ad litus appellenti obvium foret, navi egressus incidit in filium, quem & ex voto macrare coactus est. Samgar sex- centos Philistæos interficiens בכרטר הכקר, stimulo bovis, Lycurgo exprimitur Bac- chas βουκόλιος in Syria insectante, qualis ab Homero & Nonno pingitur. Ex Lu- nularum gestandarum more, quem Gedeonis temporibus usurpabant Madianita- rum Reges, ut ex libri Judicum octavo capite discimus, Brachmanes Esuvaræ caput Lunula insignire solent. Eodem uti ornamento consueverunt Arabes, gens Lunæ cul- tui à vetustissimis temporibus dedita, & ab Arabibus ad Turcas propagata est hæc religio. Madianitas dixi Lunulas gestasse; nam quod reddit Vulgatus Interpres hoc

Ex iudicum libro aliquot manarunt Gycorum, aliarumque Centium fa- bula ac ritus.

Hem. Iliad. 2. Nonn. Dion. 10. Jud. 8. 21. 26.